Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26325
Copyright: Admont, Benediktinerstift

a peccatis eorum. Numquid ad istum populum istum non pertinent parvuli, quem salvum
faciet Ihesus a peccatis eorum. Pertinent plane, pertinent fratres mei. Sic habe-
te in corde, sic credite, cum ista fide parvulos ad gratiam Christi porta-
te, ne si hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus respondetis lingua
vestra occidatis. Prorsus fratres qui cum ista fide cum parvulo non currit, fingit.
Sanus est, nichil mali habet, nichil vitii habet, sed tollat eum ad medicum.
Quare? Quia sic solet fieri. Non times ne tibi dicat medicus: Tolle hinc
tecum ipsum. Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Commenda-
verim karitati vestre causam eorum qui pro se loqui non possunt. Omnes parvuli
tamquam pupilli considerentur, etiam quando parentes proprios extulerint.
omnis predestinatorum numerus parvulorum populus dei querit tutorem
qui expectat dominum salvatorem. Universam massam generis humani in ho-
mine primo venator ille percussit. Nemo ad scelum transit a primo nisi
per baptismatis sacramentum. In parvulis natis et nondum baptizatis ag-
noscitur Adam. In parvulis baptizatis et ob hoc renatis agnoscitur
Christus. Qui Adam non cognoscit in parvulis natis, nec Christum agnoscere po-
terit in renatis. Sed quare inquiunt iam baptizatus homo fidelis iam
dimisso peccato generat eum qui est cum primi hominis peccato? Quia carne
illum generat, non spiritu. Quod natum est de carne caro est. Et si exterior homo noster,
ait apostolus, corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Ergo quod
unde renovatur non generas parvulum. Tu ut non in eternum moriaris
natus es et renovatus es. Ille adhuc natus est. Si tu renascendo vivis,
sine ut et ille renascatur et vivat. Sine inquam renascatur, sine re-
nascatur. Quare contra dicis? Quare novis disputationibus antique
fidei regulam frangere conaris? Quid est enim quod dicis: parvuli non ha-
bent omnino vel originale peccatum? Quid est aliud quod dicis, nisi ut non acce-
dant ad Ihesum? Sed clamat tibi Ihesus: Sine pueros venire ad me.
Conversi ad dominum. Item eiusdem de verbis apostoli fidelis ser-
QUOD LECTUM EST mo et omni acceptione dignus.
in sancto evangelio hoc et Paulus dicit, cuius verba ista
sunt: Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus venit in mun-
dum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Nulla causa

nota